

# DE CHLOROSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM  
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERA-  
RUM DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIFICATUR

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTOPHORUS GUILIELMUS  
TOTTIEN,

C U R O N U S.



---

MITAVIAE,

EX OFFICINA J. F. STEFFENHAGEN ET FILII.

MDCCLXXVII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAROLO FRIDERICO LEDEBOUR,

PHILOS. DOCT. AUGUSTISSIMO TOTIUS RITHENIAE AETOCRATORUM A CONS. STATUS, BOTANICES IN CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE DORPATENSI P. P. O., ACADEMIAE CAESARAE SCIENTIARUM PETROPOLITANAE MEMBRO EPISTOLARUM COMMERCIO JUNCTO, NEC NON ORDINARIO SOCIETATIS CAESARAE NATURAE CURIOSOREM MOSQUENSIS, ALIARUMQUE SODALI,

**Imprimatur**

ex conditione, ut simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, antequam distribuatur, septem exemplaria administrationi, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonorum  
d. 12. Mens. Aug. 1827.

**Dr. J. C. Moier,**  
Decanus.

P A T R O N O

ET

FACTORI PRAE CAETERIS

COLENDO,

316714

VIRO PRAENOBILISSIMO

OTTONI BENJAMINO  
ROSENBERGER,

AUGUSTISSIMO TOTIUS RUTHENIAE AUOCRATORI A  
CONS. AULICIS, LINGVAE LETTICAE IN CAESAREA  
LITERARUM UNIVERSITATE DORPATENSI LECTORI  
PUBLICI CONSTITUTO, GYMNASII DORPATENSIS DI-  
RECTORI, SOCIETATIS IN CURONIA LITERARUM  
ARTIUMQUE SOBALI,

NEC NON

P A T R O N O

A T Q U E F A U T O R I S U O

O P T I M O,

VIRIS  
ERUDITIONIS PROBITATISQUE  
LAUDE CONSPICUIS,  
DE  
PATRIA  
ET DE SE IPSO BENE MERITIS  
HASC  
STUDIORUM PRIMITIAS  
OMNI QUA PAR EST REVERENTIA  
D. D. D.  
UNAQUE  
SE RESQUE SUAS DE MELIORI NOTA  
COMMENDAT

AUCTOR.

---

## Prooemium.

---

Nemo fere ignorat, ii, qui, legibus academicis obtemperaturi, thema quoddam ad conscribendam dissertationem inauguralem circumspiciunt, quanta in calamitate versentur. Omnem scientiarum medicarum campum peragrantes vix, quem excolerent, agrum inveniunt; tot enim tantisque viris, maxima nominis celebritate conspicuis, cultum quis obarare auderet tiro?

Quae iterum atque iterum mente volvens, opiniones circa Chloroscos indolem et naturam recognoscere tandem constitui; longe autem absun ab eo, ut, quod iniquo Marte, contra vim scilicet morbi saepius

VIRIS  
ERUDITIONIS PROBITATISQUE  
LAUDE CONSPICUIS,  
DE  
PATRIA  
ET DE SE IPSO BENE MERITIS  
HASC  
STUDIORUM PRIMITIAS  
OMNI QUA PAR EST REVERENTIA  
D. D. D.  
UNAEQUE  
SE RESQUE SUAS DE MELIORI NOTA  
COMMENDAT

AUCTOR.

---

Prooemium.

---

Nemo fere ignorat, ii, qui, legibus academicis obtemperaturi, thema quoddam ad conscribendam dissertationem inauguralem circumspeciant, quanta in calanitate versentur. Omnem scientiarum medicarum campum peragrantes vix, quem excolerent, agrum inveniunt; tot enim tantisque viris, maxima nominis celebritate conspicuis, cultum quis obarare auderet tiro?

Quae iterum atque iterum mente volvens, opiniones circa Chloroseos indolem et naturam recognoscere tandem constitui; longe autem absum ab eo, ut, quod iniquo Marte, contra vim scilicet morbi saepius

redeuntis contendens, scripsi tibi que, candidè lector, pavidus obtuli opusculum omnibus numeris absolutum crediderim.

Enixe te igitur rogo atque obtestor, ne nimis acerbo iudicio hasce pagellas perlustres, sed benevolè excipias animo. Vale!

---

## Introduction.

---

### §. 1.

Ad fusiorem jamjam thematicam, quod tractandum mihi proposui, elaborationem me accincturus id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere Cicero a) monet „ut, „quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, „ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo „agitur, intelligant.“

Est autem Chlorosis morbus virginum pubertati propius accedentium vel modo puberum calecticus, viridescente pallore mensiumque inordinata eruptione stipatus.

### §. 2.

Explicanda tunc mihi occurrit Chloroseos onomatologia, quae etymologia et synonymia absol-

---

a) Cicero de oratore. L. I., c. 48.

vitur. Nomen, quo ad indigitandum, de quo agimus, morbum recentioris aevi plerumque utuntur medici, Chlorosis scilicet, ab huic morbo peculiari symptomate, viridescenti pallore, depromptum, derivatum est a voce graeca *χλωρίς* (ex virore flavescens), cujus quidem vocis originem A. Foësius *b)* latius exposuit, quem adeat lectorem rogo, quam Galeni dictum *c)* neutiquam flocci faciam.

### §. 3.

Permagna sane est synonymorum, quibus morbus noster designabatur, caterva; prout enim varie considerabatur affectus, varia sortitus est nomina, quorum usitiora afferre liceat. Salubatur scilicet: Cachexia pubertatis — C. virginea — Febris alba — F. amatoria — F. icterica alba — Foedus virginum color — Icterus albus — Morbus pallidus — M. virgineus — Pallor virgineus e. s. p. At sufficiant haec, ne modo castigatum ipse peccatum committam. Ipso jam nomine morbi indolem exposuisse crediderunt auctores; quantum autem a veritate aberraverint,

*b)* Anthonii Foësii Oeconomia Hippocratis, Genevae 1657, sub voce: *χλωρίς*.

*c)* „De nominibus pugnare et multum laborare nec necesse est, nec par, nec venia dignum.“ v. Galeni de differentia pulsum. L. III., c. 1.

progrediente dissertatuncula, suo loco ostendetur.

### §. 4.

Utrum veteres Chlorosin noverint, nec ne, ex scriptis eorum non patet, nisi qui de viscerum obstructionibus et morbis ex plelegmate oriundis scripserunt *d)*, eam atigisse credideris. Hippocrates quatuor morborum crassorum imagines exhibuit, quarum ultima *e)* eidem Chloroseos propius accedit; nec non aliis locis *f)* morbosos commemorat status Chlorosi haud absimiles. Idem in libro de virginum morbis Chlorosin intellexisse videtur; mirandum autem unde sagacissimus sane naturae scrutatorum coloris Chlorosi peculiaris nullam Couis ille fecerit mentionem. Perperam igitur nonnulli Hippocrati istam morbi nostri denominationem, Chlorosin scilicet, tribue-

*d)* Praeter Hippocratem, de quo infra,

Paulus Aegineta de re medica. Lib. I., cap. 1.

Aëtius Amidenus Contract. Medicin. Tetrabib. *f)*

III., sermo 1, cap. 23. et Tetrab. IV., sermo 4, cap. 10.

Galenus de causis symptomatum. Lib. I., cap. 7.

*e)* Hippocrates de internis affectionibus, cap. 53. (ex ed. v. d. Linden 1655).

*f)* Hippocr. de mulierum morbis. L. II., c. 9. et de superfoetatione c. 4.

runt *g*). Vitae quidem sub caelo molliori laboriosae genere et servata morum probitate Chlorosin rarius occurrere, quis est qui negaverit? Senioribus autem temporibus Graecos aequae ac Romanos luxuriosissime vixisse constat; attamen Galenus *h*) non nisi obiter Chlorosin indigitavit. Veri ergo simillimum cum aliis censerem Chlorosin pro mensium retentorum aut suppressorum consequentia veteris habuisse, ideoque peculiari descriptione dignam non credidisse. Versus finem sacculi decimi sexti Chlorosin ut proprii generis morbum pertractare coeperunt auctores *i*).

### Symptomataologia.

#### §. 5.

Plura affectus noster amplectitur mala ac symptomata variasque actionum facultatum natu-

- g*) Varandaeus de morbis mulierum. cap. 1.  
Sennert, de morbis mulier. P. II., S. 3, cap. 2.  
Riverius Praelex medic. L. XV., cap. 1.  
Musiianus de morbo virgineo.

\* Vox enim *Χλωρασα*, quae in Hippocratis Libro VIIo Epidemiorum sectione 2da (Tom. I. pag. 500 edit. Linden.) occurrit, huc neutiquam pertinet.

*h*) l. sub *d*) citato.

*i*) Inter quos referendi sunt:

- Joannes Lange, Epistolae medicae. Libri III.  
(Lib. 1, epist. 21.) Francof. 1589. 8.  
Rodericus a Castro, Universa morborum muliebrium medicina. (Pars II., Lib. I., Sect. 1, cap. 5.)

ralium laesiones, ita, ut tota fere corporis oeconomia pervertatur.

Essentiale hujus morbi symptoma statim in oculos cadit, color scilicet cutis depravatus, qui vel albus, vel cinereus, modo cercus, modo fuscus, nunc luridus est; imo tanta observatur colorum varietas, ut diversas eorum commissuras verbis exprimere difficillimum sit. Summum autem quum nactus fuerit morbus gradum, pallor iste in virorem vergit flavescens, unde etiam Chloroseos denominatio. Prima hujusce decolorationis vestigia in partibus sese manifestant epithelio tantummodo obductis, ita, ut labia et interna oris superficies, alias roseo vigentia colore, palleant, nec raro in livorem abeant; tunc canthi oculorum et palpebrae colorem induunt flavum, imo fuscum; normalis scleroticae albedo in squalidum tamquam pallorem transit *k*); circuli lividi seu plumbei coloris sub oculis concavis et splendore naturali orbatis apparent. To-

- k*) Fuerunt nonnulli, qui scleroticam in Chlorosi al-bissimam esse contenderunt, eodemque symptomate chloroticas ab atriginosis discrepare; conf. Sauvages Nosologia methodica. Amstel. 1758. T. II., pag. 597.  
albissima autem certe non est, licet non eo, quo in atriginosis, modo flavescat.

tum corpus molliter tumet, et bene nutriti speciem mentitur; in locis attamen, ubi cutis per se jam laxior esse solet, tumiditas ista brevi tempore ad eum pervenit ambitum, ut sacculi instar cutis dependeat, quod in faciei regione sub oculis sita saepius observatur. Nec raro flaccida haecce intumescencia, auxilio praesertim retardato, in oedema transit, primum palpebras totamque faciem, deinde artus, tum denique totius corporis superficiem occupans. Ut in oedemate, ita et in morbo nostro artus inferiores vespertino tempore magis tument, quam matutino: facies autem e contrario matutino tempore tumidior observatur. Calor totius corporis imminutus est: attamen haud raro subitae caloris frigorisque occurrunt vicissitudines; artus autem plerumque frigent.

§. 6.

Magna saepe actionum systematis irritabilis repugnantia animadvertitur. Arteriarum nempe succussus justo plerumque parcius *h)* sese excipiunt; quorum attamen numerus in aliis haud raro eo increscit, ut vel 140 ictus *m)* intra sexa-

*l)* W. A. Haase über die Erkenntn. u. Cur der chron. Krankh. Leipz. 1817. Vol. I., pag. 558.

*m)* J. D. Brandis Erfahrungen über die Wirkung der Eisenmittel — u. des Driburger Wassers. Hannov. 1803. pag. 116. §. 59.

gesimam horae partem deprehendi possint *n)*; in aliis denique plane irregulares observantur. Semper autem parvi, debiles et inanes sunt, facilesque compressu; nec unquam, licet animi corporisve agitationibus turbentur, pleni fortesque evadunt, sed duriores tantummodo et celeriores. — Eodem fere modo venae se praebent, quae non nisi parum sanguine impletae inveniantur.

§. 7.

Respiratio plerumque impedita et imperfecta est, nec raro crebra oscitatione interscissa. Maxima autem respirationis difficultas qualescunque conatus excipit, praecipue acclivium et scalarum adscensus, quia tunc temporis sanguis, a musculis contractis compressus, uberius in pulmones irruit, quos ita implet, ut infirma eorum autenergia aequae ac musculorum pectoralium et intercostalium ope peracta compressione cordi sinistro vix erogari queat, unde non potest, quin palpitationes cordis orientur, lipothymia haud raro

*n)* Qua quidem pulsuum frequentia plecti nonnulli morbum nostrum febrem, variis quidem additis epithetis (conf. §. 3.), appellaverunt; at perperam, quum alia febris symptomata, ut exacerbationes aut paroxysmi, certis temporibus redeuntes, praesus non appareant.

terminatae, quibus brevi plerumque cubitu supino, capite paullulum tantummodo elevato, finis imponitur; quem quoque cubitum nonnullis chloroticis maxime convenientem gratumque esse, Brandis asserit o). Nec situs, quo aegrotae facilius animam ducunt, temere negligendus est, quum viscerum conditio ex eo colligi possit; quibus enim hepatis obstructum et tumidum est, haec animam difficilius trahunt sinistro, quam dextro lateri incubantes; quibus vero integrum est hepatis, at lien tumidus, his commodior oppositus situs est.

### §. 8.

Motus tonicus multifariam a naturali via sese deflectit. Maxima plerumque musculorum debilitas animadvertitur, quae jam ex eorum mollitie cognosci potest. Hinc deambulatio tarda et vacillans; hinc pigritia ad motum vix ferme superanda, et fastidium omnium oblectationum, quae exercitio obtinentur, ut ambulationes, rusticationes, cantus etc.; hinc vita deserta et maximae lassitudinis sensus post musculorum intentionem licet minorem, quae haud raro artuum tremorem, subsultum tendinum aliasque provocat convulsiones. Nihilominus tamen, incredibile fore

o) Brandis, l. c. pag. 118.

dictu, experientia stabilitum est, firma chloroticas voluntate magnam hanc pigritiam non solum superasse, verum etiam vehementiores conatus absque ullo detrimento tulisse, quid? quod utilitatem et salutem inde ceperunt. Sic Brandis p) refert virginem chloroticam, quae ex longo tempore paralyti impediebatur, quo minus paucos vix passus ambulare valuisset, subito per quadrantem horae ivisse, quum audivisset, se itinere hoc facto virum quendam, scriptis suis sibi carissimum, visuram esse; nec non alteram, quae post corporis levissimam intentionem summa premebatur lassitudine cordisque palpitatione, saltationem, quam deperibat, amplius hora absque incommodo egisse, imo ad tempus aliquod restauratam sese sensitse. Cui similem Fleisch q) casum commemorat. — Hinc denique magnus somniamor, raro attamen placidi et quieti, quia insomniis ingratis saepe turbatus exili tantummodo copulatur recreatione, cui quo magis indulerint aegrotae, mirum non est eo magis eas dormire.

### §. 9.

Systematis sensibilis aequae, atque irritabilis, functiones laesae apparent. Ad affectus nervo-

p) l. c. §. 62. pag. 121.

q) Fleisch und Schneider Handb. über die Krankheiten des männl. Alters. 1 Bd., pag. 222.

rum propensae variis chloroticae gravantur symptomatibus, hystericis simillimis, quorum, quae ad motum spectant, supra (§. 8.) jamjam mentionem feci; restat adhuc, ut variae indolis dolores commemorem, cardialgiam scilicet, globum hystericum, et cephalalgiam praecipue, qua vix unquam desinente, at plus minusve remittente, pleraeque chloroticae vexantur, in his non nisi alterum utrum, in illis utrumque cranii latus, in aliis denique verticem tantummodo occupante. Nec desunt symptomata, quae communis sentiendi instrumenti functiones laesas testantur; plerumque enim tristes, imo stomachosae, rei familiaris administrationem aegrotae aversantur, solitudinem quaerunt, largas a levissima saepe causa, nec ipsis haud raro manifesta, effundunt lacrymas, mortisque cogitationibus agitantur, cuius quidem desiderio non nullae ita tenentur, ut autochiriae praebent suspicionem.

Omnes attamen modo dicti nervorum affectus potius ab organismi exinanitione oriri videntur, quam ad morbi essentiam pertinere, quum morbo diutius tantummodo perdurant plerumque superveniant, nec raro plane non appareant.

#### §. 10.

Maximi vero momenti systematis reproductivi functiones habendae sunt, quum ex earum inte-

gritate totius organismi pendeat conservatio. Nec ullus fere existit morbus chronicus, quin vel vim huic systemati inferat, vel vi ei illata oriatur. Mirum ideoque non est, morbum nostrum affectionibus, quas dicunt gastricas, abundare. Sitis plerumque deficit tam ex pristina parum tantummodo aquae bibendi consuetudine <sup>r)</sup>, quam ex cutis laesa functione; ast interdum vix explibili aegrotae urgentur siti, ex perversa nervorum actione oriunda. Ciborum appetentia ab initio morbi parum quidem imminuta apparet, imo praeter naturam haud raro aucta in bulimum fere transit; proveciore autem morbo maxima ex parte ita imminuitur, ut omnem fere cibum, praesertim carneum, fastidiant aegrotae nausea, vomitione, cardialgia et ipsomet vomitu laborantes. Quam praeter appetitus commutationem alia ejusdem occurrit perversitas (picam et malaciam vocant), qua animus ad inutilia fertur et a natura alias abhorrentia, ut pulveres, calcem, ceram, salem, acetum, pannos veteres, putria

r) Pravam hanc consuetudinem Ill. Hufeland multos in eruditis et feminis, umbratilem vitam degentibus, morbos provocare arguit; conf.

Makrolistik von C. W. Hufeland. Berlin 1805. Vol. IIdo. pag. 201.

coria, chartam, araneas etc., quae a sanis non appetuntur, nisi non nulla eorum condimenti s) tantummodo ratione. Illata autem non proficiunt; digerendi enim facultate pariter laesa male concoquuntur, magnamque molestiam et anxietatem afferunt aegrotis, quippe quae brevi post pastura hypochondriorum et abdominis tensione, borborygmis et flatibus aequae, ac ructibus cruciantur. Sordibus variis primas, ut dicunt, vias inquinatas esse praeter modo allata symptomata testantur oris graveolentia, gustatus plerumque ingratus, fatuus, salinus, amarus, modo siccescens lingua, modo ut etiam totius oris cavum tenui vicidoque nec non albedo seu subsusco oblecta mucosae, saepius etiam vomitu et defectione haud parva foras egesto copia. Colluviem hanc pituitosam vermibus plerumque comitantur, taenia t) scilicet et ascarides u).

s) Exemplum virginis, quae zingiberis crebriori ita delectabatur usu, ut quotidie duas fere comederet uncias, quo in voram demum incidit chlorosis, Frid. Hoffmann affert in dissertatione de genuina chlorosis indole, origine et curatione. Conf. Frid. Hoffmanni operum supplement. II., P. II., pag. 39). (Genevae 1753 fol.)

t) Haase l. c. p. 558.

u) Brandis l. c. p. 149.

### §. 11.

Omnes fere secretiones et egestionem a naturali via recedunt, nec mirum; ex depravatorum enim succorum communi penu non nisi depravatae elici possunt secretiones. Cutis transpiratio plane fere abolita apparet, ideoque cutis ipsa frigida et arida, nec nisi paucis iisdem et glutinosis sudoribus squalens; hinc tumor ille oedematodes, supra (§. 5.) jamjam commemoratus, cui variae indolis maculae, impetigines, imo ulcuscula superveniunt saniosa, e quibus incaute exsiccatis anhelatio, cordis palpitationes violentae, et tussis cum sputorum puriformium, cruentorum varioque colore infucatorum ejectione oriuntur. Saliva, cujus tanta ad concoctionem est utilitas, quanta est maxima, modo viscidior justo et mucosior, modo serosior et tenuior profluit, nec raro adeo copiosa, ut os ea redundare fere videatur. Urina plerumque aquosa et pallida; ast interdum plus minusve jumentosa et turbida, mucosam demittens hypostasin. Alvus plerumque inordinata, modo tarda, adstricta et suppressa fere, modo soluta et aquosa haud exiguum inducens debilitatem.

### §. 12.

Absoluta symptomatum, quae ex functionum, ad vitam individui propriam conservan-

dam et tuendam conferentium, laesione oriuntur, enarratione reliquum est, ut ad eas propius accedamus functiones, quae ad genus humanum conservandum, novamque veluti vitam procreandam spectant. Quarum quum integritas ex normali praecipue colligi possit menstrua purgatione, haec praecipue consideretur necesse est. Menstruatio autem in morbo nostro laborantibus vel plane deficit, vel inordinata redit, tum quoad praeterlapsi temporis intervalla, ocius scilicet seriusve, tum quoad quantitatem, parcius nimirum aut copiosior, tum denique coloris respectu; plerumque enim sanguis ab uteri vasis secretus ex minori justo cruoris copia pallet e), quae eo nonnumquam imminuitur, ut sanguis loturae carnis instar prodeat; quid? quod albidus plane et mucosus in leucorrhoeam abit menstruationis vice per totius morbi decursum fungentem, nec raro, chlorosi licet sanata, vix tollendam. Nec desunt exempla sanguinis menstrui per insolitas vias prorumpentis, ut nares, pulmones etc. Rarissima autem sunt illa normalis chloroticarum menstruae purgationis.

e) Eadem est universi sanguinis ratio, qui, sive sponte effluit, sive consulto detrahatur, justo semper pallidior apparet.

Voluptuosis interdum agitantur cogitationibus magnaque coeundi libidine, quae fabulis Milesiis (de amore fatisque amandum disserentibus), quibus maxime delectantur, utique augetur, nec raro ita, ut maniae genus inde oriatur, quod nymphomaniam vocant; quare non temere medici faciem pallidam veneris occultae flammaeque absumptis testem ac indicem esse contendunt w). Cujus exstinguendae causa ad turpissima miscellae confugiunt remedia, quibus, prohi dolor, oleum, non aquam, igni affundunt. Aliae e contrario libidine plane inoffensae sunt, quarum autem organa sexus male plerumque confirmata, etsi non in oculos cadant, ex mammarum tamen imperfecta evolutione suspicari licet. Cavendum autem ne ex libidine deficiente mala organorum conformatio temere colligatur; virgines enim morum probitate insignes omnem salacitati, licet maxima urantur, medici aliorumque percontationibus subtrahendae operam navabunt. Hinc vultus timidus et mentis inquietudo ac misanthropia fere oriuntur; persuasum enim quum habeant, omnium in se directos esse oculos, timorem, ne vultus libidinis cum virtute certationem prodant, mittere nequeunt.

w) Conf. Jo. Casp. Korte Diss. de pallore virginum venerem indivante. Halae 1759.

## §. 13.

Magnam est morborum Chlorosin excipientium agmen. Sequuntur enim summa totius corporis debilitas, reactio in iucitamenta fere abolita, nervorum morbi, acuti aeque ac chronici, dyspepsia, obstructions viscerum abdominalium et glandularum mesaraicarum, nimius haemorrhoidum passivarum fluxus, nec raro haematemesis, hydrops universalis et partialis, exanthemata chronica, sterilitas, asthma chronicum, phthisis pituitosa aliaque blennorrhoeae; quae diversissima sane mala, nisi sanantur, plerumque febre hectica lenta et morte inde oriunda terminantur.

## §. 14.

In cadaveribus Chlorosi peremtarum adaperitis haec a norma recedentia inventa sunt. Haud parva in thoracis et abdominis cavo aquae copia; pulmonum superficies maculis cinereis et nigris variegata, substantia autem putrescentia aut supuratione destructa; cor permagnam, sanguine gumoso distentum, in aliis vacuum et pallidum; valvulae cordis deformes et veluti ossificatae; plura abdominis viscera pallida, praeter ceteris jecur x); glandulae mesenterii induratae; ventri-

x) Sectio cadaveris puellae chloroticae nondum menstruatae hepar exhibuit colore liem referens, imo

culis vacuus et corrugatus; uterus parvus, ut infantis biennis eum fere putaveris; portio uteri vaginalis cartilaginosa, nec raro plane clausa; vagina perangusta; ovaria plerumque praeter normam parva et quasi vieta.

## Aetiologia.

## §. 15.

Primum inter causas praedisponentes illa virginum aetas locum occupat, qua ad pubertatem illae propius accedunt, vel jamjam pervenerunt: haec enim aetate plura concurrunt momenta sexus functiones turbantia, Nostrumque provocantia morbum, quem itaque Cel. Henke y) (ni gravissime fallor omnium primus) evolutionis morbis adnumeravit. Non quidem desunt exempla mulieres omnino adultas, imo decrepitas, variis ex causis varias perpeti aegritudines chlorosi totius praesertim cutis pallore haud dissimiles, aetiologiae autem respectu utique ab ea discrepantes. Eadem, quae adultarum, virorum et infantum est ratio; emasse igitur cum aliis censeram, qui

lividius, et pariter ac pulmones sanguine crasso et ingresecente tumulum. Conf. 60.

Hufeland Journal. Vol. 57. part. 4. pag. 124.

y) Ueber Entwicklung und Entwicklungskrankheiten von Ad. Henke. 1814. pag. 147.

adultas z), aut viros a) et infantes b) chlorosi laborasse contenderunt, auctores.

§. 16.

Alterum labes quaedam occupat locum, quae torpido systematis nervorum et vasorum abdominalium statu cognoscitur. Plerumque enim Chlorosis puellas invadit habitu spongioso, torpido, laxo et phlegmatico praeditas, scrofulosi, obstructionibus viscerum et glandularum abdominalium, ictero, dyspepsia et abdominis tensione ac inflatione laborantes, praecipue vero tractus intestinorum et genitalium blennorrhoeis obnoxias. Nec febres intermittentes, praesertim diuturnas c),

z) Kalschmid Diss. vidua triginta annorum, chlorosi laborans. Jen. 1752.

Stoll rationis medendi. Pars V. Viennae 1789. pag. 330.

Nicol. Chesneau Observationum medicarum. Lib. V. L. B. 1719. Libro Vto, obs. 21.

a) Schmalz diagnostische Tabellen. Dresden 1816. pag. 184. §. 1663.

b) Consultationes medicae s. Sylloge epistolarum cum responsis H. Boedhauii. Götting. 1744. Epist. 38. pag. 125.

Sauvages l. c. pag. 599.

c) Atro Fr. Hoffmanni carbone notavit quartanem, in diss. exhib. observationes clinicas circa curationem febris quartanae. (Hoffm. operum Supplem. II. P. II. pag. 35.)

et exanthemata chronica d) sicco pede transeundas existimo. Labes haecce, congenita plerumque, saepe etiam momentis acquiritur, quae irritabilitatem tum systematis arteriosi in genere, tum vasorum abdominalium in specie imminuunt, et segniorem in hisce sanguinis circuitum reddunt. Huc referenda sunt: manca organismi evolutio a neglecta infantum educatione physica aequae, ac psychica; vita sedentaria et parca subdivo exercitatio, quae quidem eo plus detrimenti afferunt momenta, quo actuosior antea fuit vivendi ratio. Haud parvam denique causarum occasionalium nonnullae ad labem complendam conferunt symbolam.

§. 17.

Inter causas occasionales primum recensenda mihi occurrit habitatio, cujus cum ratio duplex existat, respectu scilicet terrae regionum et domiciliorum, haec exponatur necesse est. Terrae enim regiones paludosae, et aliis ex causis humidae, ut convalles, praesertim sub caelo calidiori

d) Chlorosin ex scabie originem duxisse, quae non nisi denuo prolicita scabie martialibus debellari potuit, Clar. Autenrieth refert in:

Versuche für die pract. Heilkunde aus den klinischen Anstalten von Tübingen. Bd. 1. H. 1. pag. 275.

sitae, Chlorosi provocandae summo pere favent, ita, ut endemica in illis inveniatur e). Eadem fere, quae de terrae regionibus dicta sunt, de domiciis dicenda. Habitacula enim in urbibus, ubi hominum multitudo cohabitatur, quarum plateae angustae, aedesque plurimum contignationum sunt, multum ad morbum nostrum gerendum conferunt, plurimum autem si eadem humida et pravis exhalationibus inquinata luce f) careant, quae aequae ac iteratae post exaestuationem perfrictiones cutis functionem supprimere valent. Eundem censum subit neglecta cutis cultura.

§. 18.

Magnum porro in victu quaerendum est momentum. Experientiae enim suffragiis confirmatum est, alimenta cruda, concoctu difficilia, parum nutritiva et stimulo quodam egentia, ut farinae, leguminosa, olera, fructus acidulos, prae-

e) Psalmanazar's, Georgii, Beschreib. der Insel Formosa. Francf. et Leipz. 1716. Cap. 22. ubi Chatar-ko hoc malum nominatur. Conf. Schurigii Spermatalogia.

f) Quantum ad vegetum colorem lux conferat plantae testantur, quae diutius luce orbatae, pallescunt, et rursus ei expositae, pristinum recuperant virorem. V. J. Sennebier's Abhandlungen über den Einfluss des Sonnenlichts. Vol. II. Leipz. 1785. pag. 40.

cipue immaturos, et ex animalium ordine nimis adiposa, digestionem aequae laedere, ac nimis lauta et aromatibus condita, quibus nobiliores inde a tenerissima jamjam aetate vesci solent. Haud exiguae digestionem vim potentiorum quoque infert abusus, imprimis tepidorum, ut coffeeae et theae.

§. 19.

Nec vivendi ratio impune inverti potest. Somnum ad vires reficiendas multum conferre quis negaverit? Male ergo sibi consulunt, quae modum excedentes vel parum tantummodo dormiunt, et delectamentis, choreis etc. ad mediam usque noctem et ulterius dedinae somnum in serum diem protrahunt, vel nimis somno indulgent, praecipue culcitis plumeis incubantes. Nec amictus perversus suspicione caret, praesertim thoraces gerendi nociva consuetudo. Excitationem neglectam supra (§. 16.) jam recensitam invenies.

§. 20.

Inter momenta localia systema uterinum labefactantia excellunt praepropera et nimia venus, onania, leucorrhoea, menstruatio nimia aut praematura, uteri haemorrhagiae etc. Commodissime etiam hic referuntur organica systematis uterini vitia quae Chloroseos causae, e. I. uteri et

ovariorum indurationes et tumores scirrhosi, vaginae, hymenis et uteri atresiae, coalitiones uteri partiales etc.

§. 21.

Memoratu autem dignissimum est, nulla interdum Chlorosin praecedere momenta perspicua, ita, ut hujus morbi principium non nisi a labe mere congenita vel hereditaria, aut a mutationibus organismi foeminei pubertatis aetate obviis repeti possit. Auctor quidam anonymus *g)* quinque huc spectantes commemorat casus, quos afferre mihi liceat.

§. 22.

1) Virgines deliciores quoad corporis habitum intra duodecimum et decimum quartum aetatis annum, quo ipso tempore citius crescunt, affectionibus chloroticis infestantur, salvis attamen ciborum appetentia, dejectionibus et somno. Pallescunt scilicet facies, labia, gingivae et lingua; languore et morositate aegrotae tenentur; levioribus jamjam exercitationibus exanimatae sub scalarum adscensu vehementioribus cordis palpitationibus exercentur; pulsus plerumque parvus et debilis est, nec nisi parum acceleratus. Status hicce brevi, jam fere inter hebdomadem,

*g)* Hufeland Journal etc. Vol. 20. P. 1. pag. 9.

summum gradum nanciscitur, et per plures hebdomades, aegrotis sibi commissis, non immutatus sensim decrescit tandemque plane evanescit. Redeunt autem post aliquod tempus affectiones chloroticae eundem sequentes ordinem. Paulo post prima vice prodit menstrua purgatio, quae nonnumquam primam jam accessionem insequitur; at non desunt exempla duarum triumve, imo plurium ei antecedentium. Menstruatio ipsa non admodum larga typum plerumque rite servat. Non redeunt amplius affectiones chloroticae, corporisque huic aetati propriae absque impedimento procedunt evolutiones *h)*.

§. 23.

2) Virginitibus habitioribus, vegeta systematis sensibilis incitabilitate fruuentibus et praemature jamjam ad justam proceritatem allatis, absque incommodo menstrua incidit purgatio, quae quaternis hebdomadibus secundum normam reversa singularis vicibus majori effluit copia, imo tanta denique, ut vires brevi exanimat, quibus non recuperatis virgines pallescunt continua cephalalgia laborantes. Summae lassitudinis sensus somno, turbulento plerumque, non tollitur; mores ita immutantur, ut hilare hucusque ingenium in

*h)* Hufeland Journ. I. c. pag. 11.

morosum commutetur; actiones facultatis appetendi vehementiores animadvertuntur, reactiones in incitamenta tardiores, arteriarum succus celeres et parvi; motus corporis vel minimus asthma provocat cordisque palpitationem; ciborum appetentia imminuitur, et qualemcumque vires intendendi conatum vomituritio sequitur cardialgia et vomitu ipso interdum terminata; abdomen plerumque subinflatum cernitur. Saepius nunc menstrua purgatio, ternis scilicet hebdomadibus, reddit sanguinem pallidorem majori effundens copia. Auxilio retardato mala haec eo incrementum, ut in leucophlegmatiam et hydropem, universalem modo, modo partialem, aegrotae labantur. Menses plane tandem deficient, et vita morboza, aut mors ex virium consumptione, iniqua miscellarum sors est i).

§. 24.

3) Virgines inde a tenerrima aetate pallentes et praemature evolutae, quibus macrioribus simul et laxis decimo quarto jamjam aetatis anno statura excelsior est, et menstrua purgatio absque incommodo lucidit, nonnumquam, mensibus quidem per aliquod tempus secundum normam profluentibus et redeuntibus, astumate cor-

i) Hufeland Journ. I. c. p. 13.

disque palpitatione corripiuntur, cephalalgia atroci laborantes, et epistaxi interdum incommodatae; aliquanto autem post in statum praecedenti similem delabuntur. Menses nunc typi aequae respectu ac copiae sanguinis, pallidi plerumque et aquosi, inordinate redeunt; sin autem plane deficient vehementiores pectus et caput versus congestiones oriuntur, ita, ut faciei rubore et inflatione quovis vespere aegrotae molestantur, nec non cephalalgia, vertigine et magna laborent tussi, haud exigua interdum sanguinis copiam excreantes. Abdomen fere semper inflatum et durum est, incolumis attamen ciborum appetentia perinde ac concoctio. Pulsus plerumque parvus et celer, nec raro per vices plenus et durus deprehenditur. — Status huius morbusus a supra (§. 23.) memorato vel eo discrepat, quod sua sponte nec protinus ingravescit, nec in perniciosum transit morbum, sed certis cancellis circumscriptus alterna imminuitur et augetur k).

§. 25.

4) Virgines, quae illa aetatis periodo, qua menses prima vice incidere solent, justum partium concentum (adultis plus minusve proprium)

k) Hufel. Journ. I. c. pag. 17.

nondum acquisiverunt, et pueri fere vultu insignes animi tamen huic aetati conveniente hilaritate non gaudent, decimo quinto vel sexto aetatis anno omnibus sensim affectionibus chloroticis (§. 23. fusius expositis) infestantur, facie insuper tumidula et plumbeo fere colore contaminata. Comparentibus haece symptomatibus semel interdum praecessit menstrua purgatio, admodum vero parva, nec amplius redit; plerumque autem nec vestigia quidem menstruationis apparuerunt. Aegrotis, ubi diutius illis sensim quidem incrementibus laboraverint, in variis corporis partibus, cute fere semper sicca, exanthemata prorumpunt escharotica fundo lardoso et oris callosis praedita. Quae si consauerint, haud facili peragendum negotio, difficultate spirandi, tussi, pulmonumque doloribus aegrotae corripuntur sputum tenue, mucosum, nec raro sanguine mixtum ejicientes. Acceleratur nunc pulsus parvus tantummodo et debilis hucusque, at neutiquam celer. Recrudescunt pedum ulceribus pulmonum quidem affectus imminuit, non autem pulsuum celeritas; nec non vires affectuum chloroticorum perpetuate magis magisque consumuntur. Interjecto autem aliquo tempore pulmonum affectiones, nulla tamen ulcerum exsiccatione praevia, redeunt, tussis ingravescit, sputa cruenta

crebriora et copiosiora rejiciuntur, sensimque in phthisin purulentam febre hectica copulatam aegrotae delabuntur. Sudor colliquativus raro in illis observatur; mature vero hydrops exoritur universalis, urinae secretionem admodum immutata, quo primum pedes, deinde abdomen, tum denique brachia et facies in tumorem attolluntur. Totius morbi decursus inde a principio usque ad mortem, viribus penitus exhaustis allatam, duorum triumve annorum spatium amplectitur 4).

§. 26.

5) Virgines vel ante mensium eruptionem, vel nulla quidem causa perspicua, deficientibus, qui per aliquod tempus ad naturae normam prodierant, mensibus, chloroticis gravantur affectionibus, insuetis facultatis appetendi actionibus stipatis, e. J. insuperabili insolitorum alimentorum, ut carbonum etc., concupiscentia. Mira plerumque observatur morum immutatio; mites scilicet antea et patientes nunc ad iram proclives effervescent, eademque qua concupiscunt vehementia averasantur. Externorum unum alterumve sensuum nonnumquam hebetatur organon; somnus turbulentus plerumque et interceptus est; concoctio tardissime procedit, nec desunt exem-

4) Buld. Journ. I, c. pag. 25.

pla non nisi semel per hebdomadam alvum deicientium. Numquam autem affectiones chloroticae ad altiorem perveniunt gradum; nec arteriarum succus nisi parum a norma deficiunt. Musculorum vires admodum modo, modo parum, quin plane non extenuantur; quid? quod haud exiguos non numquam conatus aegrotae edunt, nec eis exinaniuntur. Statum huncce morbosum per plures menses absque detrimento perferunt aegrotae; non enim tabescunt. Nec raro, magna quidem nervorum concitatione praevia, menstrua redit purgatio, quam prima jam vice redeuntem affectionum chloroticarum remissio et alienatae appetendi facultatis in integrum restituito sequuntur. Menstruatione autem aliquoties reversa morbus plane evanescit non nisi rarissime recidivus m).

§. 27.

Morborum naturam indagare difficillimum esse negotium inter omnes fere constat. Maximi autem momenti quum sit ejus cognitio, omni tempore summam in ejus investigationem, vario quidem cum successu, operam collocaverunt medici; ideoque varia etiam de Chloroseos natura opinionum fata fuerunt.

m) Hufel. Journ. l. c. pag. 30.

§. 28.

Omniū antiquissima illa est opinio, quae mensium defectus, sive retentione oriundus, sive suppressione, proxima Chloroseos causa sistitur. Frequentes hujus opinionis sectatores n), qui recentioribus etiam inveniuntur temporibus o), ad unum fere omnes contendunt: „mensium defectu sanguinem per uteri vasa excernendum „majori copia in corpore accumulari; quae, quum „continua sanguificatione augetur, ita increscit, „ut libero motu per vasa ferri nequeat, unde „non possunt stagnationes et viscerum obstructiones non fieri, quibus sanguificatio rursus vitatur, et omnes turbantur functiones.“ — Effectum autem cum causa permiscuerunt, quos allegavi, auctores; mensium enim defectus, si ge-

n) Joann. Lange Epist. medic. l. c.

Lieutaud, Synopsis universae praxeos medicae, 1765.

p. 448.

Astruc, Traité des maladies des femmes, 1761. T. II.

pag. 1.

Platneri ars medendi, 1765. p. 346.

Cullen, Anfangsgründe der prakt. Arzneywissensch.

T. II. 1780. p. 28.

Rowley, prakt. Abhandl. über Frauenzimmerkrankheiten, 1790. p. 11.

o) Haase l. c. pag. 558.

Burns, Grundsätze der Geburtshülfe, 1820. p. 171.

nuina Chloroseos causa proxima esset, cur toties observatur non tamen insequente Chlorosi? Nec non Ettmueller jamjam huic obstitit opinioni p).

§. 29.

Ex altera, non adeo tamen vulgari, sententia origo morbi nostri „ex liquore seminali suppresso, alterato et tandem plus minusque corrupto“ repetenda est, „mediante quo, tamquam fermento communicato, alterantur, et sceruntur ab hoc succi inquinati, unde talis color, febris lenta et similia. Restituuntur autem tales per coitum; nam uti semen sub pubertatis annis vigorem corpori communicat, ita praeter naturam corruptum corporis habitum pessundat, donec per coitum excreto isto liquore corrupto, et spiritu genitali maris novo fermento partibus genitalibus inspirato, de novo effervescat, et sic reddatur corporis color floridus“ q). — Quae quidem sententia, iisdem fere verbis ab aliis pro-

p) „Supervenit tandem mensium suppressio tamquam collectus; sunt quidem, qui Chloroticas mensium suppressione tantummodo laborare putent; at falsum.“ V.

Ettmuelleri opera omnia. L. B. 1685. P. II., p. 22.

q) Ettmueller l. c.

nuntiata auctoribus r), quum liquore seminali femininarum, quas melius edocti eo carere scimus, nitatur, sua sponte collabatur.

§. 30.

Nec desunt, tam recentiorum s), quam praesertim veterum t) haud pauci, qui mali, de quo agimus, causam in laesa viscerum abdominalium integritate, et perturbatis eorundem functionibus quaerendam autumant. — Quamquam negari nullo modo potest modicam laesionem et perturbationem haud parum Chlorosi provocandae

r) Waldschmidt, Prax. medicinae rationalis, 1690. p. 922.

Valentini Prax. medicinae infallibilis, 1721. p. 129.

Santorini Opusc. de Catamenis §. VI. conf. Baglivi opera. Aeced. Santorini opuscula IV. Norimb. 1751. (opusc. IVtum).

Loew, in Ephemer. Ac. Nat. Cur. Dec. II., A. IX. Obs. 114.

Muralto, ibid. Dec. II., A. VIII. Obs. 10.

s) Darwin, Zoonomie Bd. II., p. 183.

Frid. Hoffmanni Opera omnia. Genevae 1748. T. III., p. 312.

t) Held, in Eph. Ac. N. C. Cent. VI. Obs. 88.

R. Fonseca, Consultationes medicae. Francof. 1625. Consult. 6. conf. Sprengel Gesch. der Med. Th. 3. 1801. p. 184.

R. a Castro de universa muliebium morborum medicina. Hamb. 1642. P. II., l. II., c. V., pag. 202. Poterri Observat. medicinal. Cent. I., cap. 30. cf. V. Fr. Hoffmanni operum Supplement. I., pag. 114.

suffragari, exemplis tamen nondum confirmatum est Chlorosin ex illis ortum duxisse, nisi aliae causae symbolam dedissent.

§. 31.

Longe ab hisce diversissimam Cel. Kilian <sup>u)</sup> de ea promulgavit opinionem: „Cui morbum,“ inquit, „cutaneum praecipimus Chlorosin quoque „spectemus necesse est, cuius causa in spastica „potissimum affectione, extremitatum praecipimus „arteriarum in cute, quaerenda est, quare et tan- „quam morbus assimilationis tractari plerumque „oportet, licet pro regrotantis subjecti individua- „litate diversa, morbiq; ipsius vehementia et „mora, saepe etiam glandulae cutaneae ea affi- „cianur, ita quidem, ut hac ex causa Chlorosis „cui affectio secretionis haberi atque tractari de- „beat.“

Quamvis verum sit secretiones arteriarum extremitatibus perfici, nec unquam negari possit spasticis affectionibus secretiones turbari (quis enim urinam tenuem et aquosam sub convulsionibus missam non noverit), spasticam tamen extremitatum arteriarum cutis affectionem in omnibus Chloroticis, licet cutis transpiratione desti-

<sup>u)</sup> Entwurf eines Systems der gesammten Medicin. 1802. T. II., pag. 637.

tutis, adesse vix probari poterit; nec, si ex nocentibus et juvantibus concludere fas est, quaelibet antispasmodicis sanari potest Chlorosis, quod, si spastica niteretur causa, semper fieri debret.

§. 32.

Propius veritati accedit, quam Cel. Joerg protulit, opinio <sup>v)</sup>. „Chloroseos natura,“ inquit, „minuta et perturbata nititur assimilatione, conjuncta cum minori justo sanguinis oxygenisatione (sit venia verbo), et inde oriunda systematis genitalis functionum perturbatione. Minuitur autem assimilatio vel ventriculo et intestinis debilitatis, vel pancreate glandisque mesaraicis obstructis, una cum minuta per aerem inspiratum oxygenisatione sanguinis; hinc, et „quia verisimile est, ut sanguis sufficiente partium nobiliorum quantitate carens parum tantummodo oxygenii attrahere valeat, primis pubertatis annis in corpore feminino facilius quam in masculino morbus provocatur, quum illi propositum sit succi nutritii abundantiam parare et ad uterum congerere, quod infirma organorum degestioni inservientium conditione perfici non potest. Qua quidem succorum adductorum pe-

<sup>v)</sup> Joerg, Handbuch der Krankheiten des Weibes, 1821. §. 216.

„nuria systematis genitalis sensibilitas plerumque  
 „augetur, unde aucta coitus appetitio, animi in-  
 „constantia mensiumque perturbatio proficiscun-  
 „tur. Ex deficiente autem in corpore oxygenio,  
 „maximi illo momenti vitae incitamento, debili-  
 „tatis et passivi plurimarum functionum status  
 „manant symptomata.“ — Quae quidem opinio,  
 licet turbatas corporis functiones respiciat, pro-  
 sus tamen non sufficit, quum, quae de oxygeni-  
 satione sanguinis et de oxygenii in corpore de-  
 fectu protulit cel. auctor, caligine premantur;  
 nondum enim composita lis est, utrum sub respi-  
 rationis actu re vera sanguini admisceatur oxyge-  
 nium, an principio carbonico sanguini auferendo  
 tantum inserviat.

§. 33.

Cel. Carus denique hanc de Chloroseos causa  
 proxima opinionem proficitur w). „Chloroseos,“  
 inquit, „naturam in turbata facultate reproductiva  
 „quaerendam esse patet; animalium enim func-  
 „tionum laesio non nisi secundaria est. Quae  
 „quidem facultatis reproductivae turbatio in fonte  
 „ejus deprehenditur, vasorum scilicet systemate  
 „et sanguificationis actu. Per se vero turbatio  
 „hacce Chlorosin constitutere nequit, sed concur-

w) Carus Handbuch der Gynaekologie, 1820. T. 1. §. 216.

„rat necesse est et cum validiori organismo femi-  
 „neo propria producendi facultate, et cum in-  
 „stantis vel modo evolutae pubertatis periodo.  
 „Facultas autem reproductiva et sanguificatio bi-  
 „nis impediuntur modis, quo minus ad systema-  
 „tis sexualis evolutionem conferant; vel enim  
 „actio vasorum labefactata nec menstruam pur-  
 „gationem provocare valet, nec organismi repro-  
 „ductionem servare; vel reproductio in systema  
 „genitale agere impeditur. Obstruuntur venae et  
 „extenduntur; quo facto assimilatio et sanguifica-  
 „tio laeduntur, et Chloroseos procedunt symptoma-  
 „ta.“ — Quae quidem opinio, quum turbata facul-  
 tate reproductiva omnia, quae in Chlorosi occur-  
 runt, symptomata explanari queant, optima cen-  
 senda est.

§. 34.

Omnis organismi existentia quum non nisi  
 continua eademque integra materiarum commu-  
 tatione nitatur, novae iterum atque iterum ad  
 commutandum suppeditentur materiae necessa-  
 rium est. Quod quum praecipue alimentis perfici-  
 tur ventriculo ingestis, ibique in chymum con-  
 versis, unde assimilationis organa chylum eli-  
 ciunt, qui sanguini admistus consumpta restituit,  
 mirum non est chylum, ex alimentis non con-  
 gruis non ea qua opus est bonitate depromptum,

sanguinem minus aptum reddere, qui convenientem solidarum molecularum copiam deponat; minuitur ergo calor animalis, quum a materialium e fluido statu in solidum pendeat transitu. Nec non solidae organismi partes, quum imperfecte tantummodo restituantur, infirmiores redduntur. Nervi ergo nec justam sentiendi facultatem obtinere, nec in caeteras organismi partes normali modo agere valent, unde fieri non potest, ut omnes fere corporis functiones non turbentur, eoque magis, quo organorum illis inservientium structura magis magisque convertitur. Hinc humorum stagnatio et aquae accumulatio oriuntur, unde universi palloris origo aequae deducenda est, ac a vasis cutaneis pallidiori sanguine nec nisi parum impletis.

§. 35.

Organismus autem femineus pubertatis tempore altiore perfectionis gradum consequi quum designatus sit, majorem scilicet succorum nutrientium copiam parare, qua novum in semet ipso generatum organismum alere et excolere possit, et quae, si novus quem nutriet deest organismus, menstrua purgatione derivatur, secunda gaudeat valetudine necesse est. Labefactata autem nutritione quum propriam vix tueri possit integritatem organismus, abundantiam

hancce comparare prorsus nequit. Inani vero hanc comparandi conatu vires conficiuntur, cui mors, auxilio praesertim retardato, ocyus seriusve finem imponit.

D i a g n o s i s.

§. 36.

Paucis haec absolvi potest. Symptomata enim cum causis praedisponentibus aequae, ac occasionalibus et aetate individui, collata Chloroseos ad veritatem ita exhibent imaginem, ut, qui cum ea confundi possit, tantum non inveniatur morbus, si forte ab ictero et oedemate discesserim.

In illo autem, incipiente jamjam, scleroticae color flavus animadvertitur, in Chlorosi non nisi sordide pallens; nec praeterea Chloroticarum urina eo, quo in ictericis, colore, subfusco scilicet vel bruno, praedita linteo immerso flavum, ut ictericarum, imperitur colorem.

Ab oedemate vero Chlorosis incipiens minori et aequalius diffusa discrepat intumescencia, impressas minus diu retinente soveolas; nec tanta Chloroticae siti vexantur, quanta oedemate laborantes.

Graviditas denique, quamvis status sit neutiquam pathologicus, morbosus tamen non nunquam stipatur symptomatibus, quibus tantam

Chloroseos induit similitudinem, ut ab ea distinguatur vix, ac ne vix quidem possit, praecipue quum nulla adhuc conceptus facti certa habeamus indicia. Ubi ergo graviditatis suspicio subest, multo praestat per aliquantulum temporis dubium huncce statum observare, nec nisi mitiora tantum porrigere medicamina, quae infirmam sustentantia assimilationem nullam graviditati inferunt detrimentum, donec praeterlapsis aliquot mensibus, quod latuit, in apricum proferatur.

### D i v i s i o.

#### §. 37.

Sauvages, qui plures proposuit Chloroseos species, Chloroses vel veras esse ait, vel spurias. Veris ex ejusdem sententia x) adnumerandae sunt: 1) Chl. virginea, quae puellis puberibus ex menostasia accidit cum pica, ejusque varietas Chl. amatoria, quae puellas amore pericitas afficit; 2) Chl. a menorrhagia, quae mulieres annum quadragessimum praetergressas, quaeque laboriosam patiuntur menstruationem, adoriri consuevit; 3) Chl. gravidarum, quae ad primas tres graviditatis menses accedit; 4) Chl. infantum, quae infantibus, quum pica

x) Sauvages l. c. p. 596.

absorbentium laborant, familiaris est; spuriiis vero y): 5) Chl. verminosa, 6) Chl. viridis, 7) Chl. ab hydrothorace, 8) Chl. maculosa, 9) Chl. Carthagenica, 10) Chl. Bengalensis, 11) Chl. rhachialgica s. metallica. Spurias, ab ipso Sauvages etiam Pallores nuncupatas, non nisi maxima cum injuria ad Chloroses referri posse manifestum est, quum aliorum morborum solummodo symptomata sint, quarumque numerus multis adhuc aliis pallorum speciebus augeri possit a frigore, terrore etc. oriundis. Nec autem, excepta Chlorosi virginea, quas veris adnumeravit, caeteras Chloroseos species ad veras referendas censeo, quum aequae spuriae vel aliorum morborum symptomata sint, vel organismos afficiant, quos iis affici non posse supra (§. 15.) jamjam exposui.

#### §. 38.

Plurimas Cel. Cullen 2) species agnoscit servatis, quas Sauvages proposuit, picarum nonnullas addendo, veris scilicet 1) Picam infantilem, 2) P. chlorosiantium, 3) P. malaciam; spuriiis vero 4) P. antiscorbuticorum; quibus, quum eandem, quam spuriae

y) Sauvages l. c. p. 600.

2) Synopsis nosologiae methodicae 1775. p. 204.

Cel. Sauvages, reprehensionem incurtant, non nisi atrum adjicere calculum cogor.

§. 39.

Optima sane illa est Chloroseos divisio, quam Cel. Schmalz a) exposuit, binas ejus species, erethicam scilicet et torpidam sistens.

Chloroseos erethicæ hæc sunt symptomata: magna sensibilitas, sanguinis congestiones, subitæ ruboris et palloris aequæ, ac caloris et frigoris vicissitudines, cephalalgia, spasmi, vertigo, anxietas, palpitationes cordis, pulsus parvus, celer et interdum duriusculus, ad hæmorrhagias, præsertim narium, pronitas, et quæ alia sunt erethismi symptomata. Quæ quidem omnia qualibet augmentur excitatione.

Chlorosin autem torpidam hæc indicant signa: ingens inertia, magna ex leviori conatu lassitudo, debilis in incitamenta reactio, permanens pallor (nec raro mortuorum instar), frigus continuum, transpiratio cutis deficiens, pulsus parvus, debilis, inanis, rarus, animi demissio, dyspepsia, ad leucophlegmatiam variasque blennorrhœas inclinatio, totius corporis intumescens, cutis laxa. Desunt autem nervorum affec-

a) Schmalz l. c. §. 1664.

tiones, quæ non nisi proveciōri superveniunt morbo.

P r o g n o s i s.

§. 40.

Desumuntur Prognoseos in morbo nostro criteria a causarum natura, organismi constitutione, et morbi denique complicatione et indole.

Causarum ratio maximi sane habenda est, quum, si removeri aut effectus earum innocui reddi nequeant, morbus tolli non possit. Quo major ergo ad Chlorosin dispositio adest, debilitas scilicet congenita aequæ, ac morbis prægressis, perversa vivendi ratione aut aliis momentis acquisita, nec non quo diutius perduraverit morbus, eo difficilior debellatur, eoque majora afferet detrimenta. Si ergo inopia aegrotæ impediatur quo minus habitaculæ angusta et humida cum amphioribus et sicioribus, et victum villiorem cum meliori commutare possint, aut si ditiores laborem exosæ vitæ sedentariam et luxuriosam agere non desinant, exigua morbum sanandi spes affulget. Idem eveniet, si regiones paludosas vel alias ex causis pestilentes derelinquere non possint aegrotæ.

Tristissima sane est prognosis ubi organica, quorum inter causas mentionem feci, systematis

uterini vitia adsunt, nec arte tolli possunt; at quae sanare licet, ut coalitionum nonnullae, Chloroseos removendae spem exhibent. Pessimissima est eadem, si clandestino secleri deditae morbum provocaverint et aiant aegrotae, quum rarissime eis insit ab eo desinendi et via et firmum propositum.

Morbi porro Chlorosin, vel producentes, vel concomitantes, vel denique insequentes pro varia eorum indole ad sanitatem reditum plus minusve prolatant.

Difficilius denique torpida sanatur Chlorosis, quum debili imo abolita fere in incitamenta reactione emineat.

## C u r a t i o .

### §. 41.

#### A. Cura prophylactica.

Morbum quum praestet praecavere, quam exortum curare, nonnulla ad Chlorosios prophylaxin spectantia haec afferre liceat.

Optime autem morbus noster conveniente indole a tenerissima jam jam aetate propeditur educatione, qua omnium organismi partium et systematum concinna adjuvetur evolutio. Quibus autem auxiliis hoc perfici possit causas occasionales perpendendo inveniemus, quarum ergo appulsus

avertatur necesse est. Sin tamen, morbi ante pubertatis periodum qualescunque fuerint exorsii accuratissime eis medendum, ne, ulterius porrecti, corporis huic periodo propriam perturbent evolutionem, nec ita Chlorosi aperiatur aditus.

#### B. Cura therapeutica.

### §. 42.

Duabus haec videtur indicationibus, quarum prima quidem causas, altera complicationes respicit.

### §. 43.

Primae ut satisfaciamus indicationi videndi prae caeteris respiciatur ratio, quum, quae pervera, maxime morbum foveat. Suadenda igitur sunt: medicae et pro virum modulo pedetentim augendae sub divo exercitationes; rusticalitio et peregrinatio praesertim cum aliis, iisque prudentibus amicis, quibuscumque exhilarantes conferant sermones; plurimum autem juvabit regimen spontaneis lustrari, unde magnum illud ex thermarum fontiumque medicamentum in loco emanat, usque commodum; nec alia, quae curam pellere valeant, nec modum excedant, defectiva prorsus vituperanda; eundem fere sensum chlorosae subeunt, quae Chlorosi torpida laborantibus haud exigua interdum afferunt utilitatem;

victus ex animalium magis, quam vegetabilium regno depromptus, facillique concoctu, ideoque aromatibus nonnumquam condendus; pro potu designetur aqua vel cerevisia bene cocta et lupulo condita, nec raro post pastum vini mellioris notiae, e. I. Burgundici, paxillum; coffeae autem et theae sorbitio plane interdicenda; moderato utantur somno pulvinò incubantes setis equitis conferto; amictus sit coelo et aëri conveniens, nec cutis retineat transpirationem; arcendi ergo pelles et thoraculi; multum denique tepida proderunt balnea, sensim sensimque frigidiora, quibus pro mali conditione herbae aromaticae, sal communis aut denique martialia addi possunt, et post ea totius corporis cum pannis laneis mollioribus, mastygis et succini aliorumque aromatum fumo imbutis, frictions.

§. 44.

Viscerum abdominalium vitia organica, quae Chloroséos causae existunt, et obstructions sibi propriam exposcunt curationem, quam, quum plurima illorum et inter complicationes referri possint, in alterius indicationis expositione supplebo.

Vitia systematis uterini organica, inter causas allata, vel cultello removenda, vel resolventibus aliisque medicaminibus congruis sananda.

Ubi nimia et praepropera venus aequae ac onania morbi causa fuit, prorsus ab ea abstineant aegrotae, si recuperandae sanitatis spem ingredi velint; removenda tunc onaniam plerumque insequens leucorrhoea, nec non remanens ethica debilitas.

Sin autem desperatus Chlorosin provocaverit amor, sanari vix poterunt aegrotae, nisi vel parentum aliorumque adhortationibus obtemperantes eum mittant, vel itineribus aliisve delectamentis ab eo deduci, vel denique viro jungi possint desiderato. Pessimum vero est, quod Jo. Platearius *b)* monialibus dedit, consilium, digitis nempe propriis eliciendum esse laticem illecebrosum, ex cujus stagnatione morbos ipsarum oriri ait; quod merito jamjam carpsit Cel. Zaphyrides *c)*.

§. 45.

Infirmitati denique totius organismi medendum. Quae quum duplex sit, ethica scilicet et torpida, unde binae illae Chloroséos species, longe diversissimis opus erit medicaminibus, si a tonicis discesserim in utraque adhibendis.

*b)* Expositio in antidota Nicolai. fol. 219, b.

*c)* Diss. de Chlorosi. Halae 1796. §. 35.

Chlorosis erethica vel nervorum incitabilitate insignis est, vel arteriarum concitatione. Quorum illa, variis patefacta spasticis affectionibus, antispasmodica requirit, quorum mitiora tantum, ut infusa flor. Chamom., Menthae crispae et piperitae, Melissa aliarumque herbarum, propinentur, quibus praemissis validiora, ut Valeriana, Castoreum, liquor Ammon. succ., Asa foet., Ipecacuanha (parvis quidem dosibus), quin imo Hyoscyamus, Opium et Moachus porrigantur. Arteriarum autem concitationi acida praedantur mineralia, videlicet Acid. sulfuricum cum ex ea praeparata mixtura sulfurico-acida et tinctura aromatica ad), Acid. muriaticum et his quoad effectus adnumerandum Acid. phosphoricum, omnium minime digestioni infestum, decocto avenae aliove mucilaginoso involuta; sin autem acida ex laesa digerendi facultate non perferantur, huic exaggerandae, teste Siebold e), prae caeteris inservit opium, quum semper fere adaucta ventriculi et tractus intestinorum cum ea conjuncta sit receptivitas. Nec, quae fixa nomi-

d) Conf. Doemling in: Horn, Archiv. f. medic. Erfahrung. T. III., 1803, P. I., pag. 67.

e) Siebold, Handb. der Frauenzimmerkrankheiten, T. I. Frankfurt 1821. pag. 382. §. 443.

nant, roborantia jam ab initio conducunt, si forte mitissimum eorum, Quassiae puta infusum frigide paratum, exceperim; verum enimvero medicamentibus supra memoratis semper hisce, quam rursus ferro, mox recensendo, aperiunt, via sternatur oportet.

## §. 47.

In chlorosi torpida jam ab initio tonica bene nonnunquam perferuntur; nihilo tamen secius Cel. Brandis assentire neutiquam possum, quam maturissima ea et Inprimis martialia adhibenda censenti f), licet Cel. Sydenham, nullo modo spernendi, nitatur auctoritate. At Cel. Berends (sit ei terra levis!) auditoribus suis, inter quos et me fuisse glorior, inculcavit, tonica et praecipue ferrum non nisi remotis antea, quae temere adhibita auferent, affectionibus gastricis et primarum viarum sordibus, in usum vocare. Quo quidem effato fretus non possum quin ad ea recipienda organismum praeparare suadeam; quibus autem remediis removeri queant sub altera exponam indicatione.

## §. 48.

Organismo ad roborantium receptionem rite composito sequentia adhibeantur, quorum illa

f) Brandis l. c. §. 70. pag. 134.

**B.** Limatura ferri, quae levioribus aromatis nupta ubique fere perfertur, nisi magna digestionis organorum sensibilitas mitius agentes exigat ferri tincturas.

**C.** Ferrum oxydulatum nigrum, difficilius limatura concoctu.

**D.** Tincturae variae ferri, ut pomata, acetica, cydoniata, parum adstringentes. Aethere aceticus martiatus Klapprothii vero (teste Cel. Berend's) multum adstringit, nec facile perfertur, licet maximas ei Cel. Hufeland (Journ. T. XII, P. 2, p. 185.) laudes tribuerit.

**E.** Tartarus martiatus, aliquantum resolvens; globuli tartari martiati aqua soluti balneis admiscuntur.

**F.** Ammonium muriaticum martiatum maxime laudandum, quod leviori etiam erethismo conducit et insigni resolvendi facultate pollet.

**G.** Ferrum muriaticum oxydulatum, quod spiritu vini solutum Tincturam ferri muriatici exhibet, aethere sulfurico, Liquorem anodynum martialem; remedia validiora quidem, quae attamen, concoctu facilia, magnae sensibilitati et organorum digestionis inservientium infirmitati conveniunt.

**H.** Ferrum sulfuricum oxydulatum omnium maxime adstringit, incidit, et sanguinis profluvia retinet.

§. 50.

Chlorosi torpida laborantibus aliam, quam illis, quae erethica tenentur, praescribendam esse diactam, jam ex eo manifestatur, quod in erethica omnia excitantia vitanda, quae torpidae tamen haud raro optime conveniunt.

§. 51.

Reliquum est, ut, quos §. 21. ad §. 26. memoravi, casuum curationem afferam, quorum primus exercitatione sub divo, rusticatione et ferri usu, brevi quidem tempore, sanatur; at diutius hisce continuandum ne revertatur morbus. — Eodem modo alter jam ab initio curandus, nec in illo a remediorum usu citius desinendum; imo post aliquantulum temporis ferri per duas tresve hebdomades usus, et aliquoties nonnunquam repetitus multum juvabit. — Plane e contrario tertius ferri jam in initio morbi prohibet adhibitionem; congestiones enim et sputa cruenta, quum nimis systematis arteriosi ex illis manifestetur erethismus, caute institutam sanguinis detractionem acque ac pediluvia, cineribus aliisque acnata, exigunt. Remotis sic congestionibus, et debellata ad eas proclivitate, roborantia

et ferrum adhibeantur. — *Quartus* s pariter fer-  
rum statim adhibere vëtat, nec minus ulcera ma-  
ture sanare; verum enimvero ad usum internum  
antimonialia, ad externum autem fontes hydro-  
sulfuratos (ut Nenndorpienses etc.) et kalino-  
salinos (e. l. thermas Carolinas etc.) postulat.  
Ulceribus perfecte tantum sanatis, nec insequen-  
tibus morborum pulmonum affectionibus, roboran-  
tia et martialia in usum vocanda. — *Quintus*  
denique, digestionem laesa insignis, amaro-exci-  
tantia et resorbentia indicat; evanescentibus vero  
dyspepsiae symptomatibus ad ferri cum magnesia  
et aromatibus usum transcendendum, victu animali,  
facili quidem concoctu, et vini generosi, prae-  
sertim rubri, potu optime adjutum.

§. 52.

Altero indicatio complicationes remo-  
vere jubet. Ubi ergo affectiones gastricae et pri-  
marum viarum sordes inveniuntur, plerumque  
autem adsunt, resolventibus, quin imò incidenti-  
bus, praesertim si pituitosa cum illis conjuncta  
fuerit colluvies; eis obtemperandum. Praemis-  
sis resolventibus (Taraxaco et Ammonio muri-  
atico mero aequè ac martiato) evacuentur sordes  
emetica vel purgantibus, quorum quae adhiben-  
da ex signis turgescientiae propriis colliguntur.  
Lingua muco sordido oblecta, sapor oris amarus

et praecordiorum tensio emetica indicant, quo-  
rum Tartarus atibiatus prae caeteris exhibendus,  
nisi ad diarrhoeam pronitas simul occurrens Ipe-  
cacuanhae usum exigat. Sin vero borborygmi,  
obstructiones et tensio abdominis adfuerint, pur-  
gantibus opus erit, et calidioribus quidem, quum  
caetera intestinorum debilitatem et torporem eo  
magis auferent; ideoque fol. Sennae, rad. Rhei  
et Jalappae imò Aloe adhibeantur, donec, quae  
evacuuntur, faeces ad normam redire coeperint,  
Hydrargyro muriatico miti eum in finem uti non  
suaderem, quum, plus minusve resorbittum, san-  
guinis vitiatam crasin vel pessimam redderet.

Diarrhoeae vires exhaustientes vel ex nimia  
intestinorum sensibilitate originem ducunt, ubi  
radice Columbo optime sistuntur, vel ex blen-  
norrhoea, quae pariter ac leucorrhoea amaro-  
excitantia et amaro-adstringentia requirunt.

§. 53.

Viscerum abdominalium obstructiones resol-  
ventia exposcunt, nec non illa remedia, quibus  
sanguinis in abdomine augeatur circulatio, ut  
Gummata ferulacea, Rheum etc.

Scrofulosi universali aequè ac abdominali re-  
solventibus, ut e. l. Cicuta, Antimonialibus, Cal-  
caria muriatica etc. medemur ad Ammonium mu-  
riaticum martiatum et alia martialia pergentes.

§. 54. Congestiones sanguinis ex viscerum abdominalium obstructionibus oriundae resolutivā requirunt, ex erethismo autem Acida mineralia et digitalin purpuream: Methodum revulsoriam et derivatoriam non negligendam esse vix addendum existimo; sanguinis vero detractiones, alias laude dignissimas, in Chlorosi haud instituendas censeo; quum totius organismi debilitatem auferent; hirudinum autem applicatio interdum juvabit et plerumque sufficiet.

§. 55. Profluvia sanguinis secundum indolem eorum et organa e quibus promanant diversissimam exigunt medelam, quam, ne dissertationis cancellos transgrediar, hic exponere nequeo.

Menstruatio nimia, quum magis magisque Chloroticas debilitet, Acidis mineralibus et digitali arcenda ubi erethismus praevallet arteriosus; ubi vero nervosus, Opiū vel meto vel in coñubio cum Ipecacuanha; colophonem ferrum addet sulfuricum.

Sin vero nimis parca vel plane nob. profusa aut catamenia, cum Gal, Horn <sup>1)</sup> nihil agendum ten-

<sup>1)</sup> Horn, Neues Archiv f. medic. Erfahrung, 1806. T. 8. P. 2, pag. 239.

seo; redintegratis enim totius organismi viribus sponte manabunt. Ideoque non nisi recuperata jamjam sanitate diutius retardata menstruatio emmenagogis et, melius quidem, remediis localibus, ut hirudinum applicatione, balneis, pediluvii, inunctionibus et electricitate <sup>h)</sup> alliciatur.

<sup>h)</sup> Tib. Cavallo, Vers. über die Theorie u. Anwendung der medic. Electricität, 1799. P. 45.

Corrigendum.

P. 26, lin. 21, loco 1663 lege 1664.

## T h e s e s .

I.

Potus hydropicis denegandus.

2.

Fomes caloris animalis non in pulmonibus  
quaerendus.

3.

Rarissime sanari possunt varices remediis in-  
ternis.

4.

Haemorrhagiae non nisi symptomata.

5.

Exsistunt morbi salutare.

6.

Methodus psychica in omni morbo adhibenda.